



EX EPISTOLA HIERONYMI

*Munno Zij Valentiani, Hebraeae linguae & Mathematicum in Academia Valentiana professoris publici, ad Bartholomæum Reisacherum.*



XISTIMO D. Thaddæum ab Hayck decreuisse in lucem edere aliam exactiorem, & copiosiore commentationem de Stella. Obsecro itaque te, vt illum meo nomine salutes, exhorterisque vt ab incepto non desistat, memor illius sententiæ Solomonis: Tu quodcunque potes facere, instanter operare: quia tempus & occasio deest descendentibus ad inferos. Ingenium enim & acrimonia (velut ex vnguibus Leo) mihi nota est. Nec minus obsecro, vt inceptum de parallaxibus opus absoluat. Hoc enim videtur ab antiquis Mathematicis aliqua ex parte tractatum: sed ad Colophonem, quod dici solet, non est perductum.